

consentientium) dependet arbitrio; ita, factâ per impositionem in rebus Grammaticalibus primâ specierum constitutione, quivis hominum, qui generales constitutorum Canonum rationes novit, orationem congruam certo stylo ex se conficere, imò & vocabulum seu ad præscriptam analogiam, seu ubi opus est planè novum constituere, notionalitatem ipsi largiendo, possit: hic verò, ut subjectum originaliter à DEO, formaliter ab ipsa Natura dependet; ita nemo hominum, imò nulla creaturarum, ullum specierum naturalium individuum *αὐτογενεῖς* producere, aut naturalem ipsi, quam habeat cum aliis, concernentiam ex se largiri possit, ut supra pluribus diduximus.

*Adeam spe.
Est*

§. 9. Cæterum, ut in Philosophiâ naturali se habent isti Practici, qui naturam institutis experimentis pervestigant, honorario vocis usu *Empirici* dicti, quibus tum occultorum inventio, tum inventorum probatio, curæ cordique est; Ita in rebus grammaticalibus se habent isti vocabulorum & Orationis censores, dicti *Critici*.

Critica,

Quibus si accedat rerum gestarum, orationis stylo traditarum, aliarumque rerum ad dextram textus explicationem necessariorum conscientia,

*Philologia
stiam*

Philologi, item *Humaniorum* (h. e. rerum magis in hominum arbitrio quàm in Naturâ sitarum) *notitiâ* præditi, dicuntur:

Hieroglyphica cum

ad quos ipsos etiam *Hieroglyphicorum* intelligentia spectat. Et sicut in Physicis admiramur eos, qui naturæ secreta tractant, & ea vel imitantur, vel repræsentant, vel interpretantur; ita in grammaticis miramur eos, qui Scripturarum secretas rationes & occultos colloquendi modos intelli-

*Steganographiâ &
Tachygraphiâ.*

gunt, & *Steganographie* sunt periti: imò & eos, qui *Tachygraphiam*, h. e. artem compendiosè (adhibitis ut dicuntur abbreviaturis) multacitò scribendi, callent, quæ ars magis ad Grammaticam, quàm ad Graphicam spectat.

*Physica &
Grammatica*

§. 10. Tanta est *Physicæ & Grammaticæ* convenientia, tanta rerum physicalium & grammaticalium analogia, & quidem directâ, si res in se spectentur. Quod si ad hominem referantur hi termini, turbatam prorsus & inversam experi-

untur